



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Mysteria Complectitur Incarnationis & Infantiae Iesv Christi Domini
Nostri, vsque ad eius Baptismum

Puente, Luis de la

Coloniae, 1613

Med. 13. De S. Ioannis Baptistæ Natiuitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54647](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54647)

MEDITATIO XIII.

DE S. IOANNIS CHRISTI
Domini Præcursoris Na-
tali.

PUNCTVM I.



RAEMITTENDA est eorum *Pro festo*
consideratio, quæ S. Ioannis con- *S. Ioannis*
ceptionem præcesserunt. Quem *Baptist.*
enim Deus in suum Præcurso-
re elegerat, voluit honorare; quò-
tum misericordiæ suæ magnitudinem, tum of-
ficij, quod illi committebat, excellentiam, ad
ipsius Christi gloriam, cuius ille præcursor
erat, manifestaret.

PRIMUM itaque voluit, eum miraculo con-
cipi, à parentibus sterilibus, sed sanctis, qui o-
rationibus & pijs desiderijs eum impetrarent.
Oratio enim (teste S. Gregorio, dum de Isaac *Lib. 1. Dial.*
natiuitate disserit) est aptissimum, quo Deus *cap. 8.*
nos vult uti, ut, quæ in æterna sua prædestina-
tione dare decreuit impetremus. Ex quo ad
Orationis maiorem affectum merito excita-
bimur, & ad magnam in ea spem, etiam in re-
bus quæ difficiliore videntur, collocandam:
quia ad omnia reuera valet.

VOLUIT etiam Deus, huius sancti conce-
ptionem per eundem Gabrielem Archangelum
nunciari, per quem filij etiam sui erat Incar-
natio

natio

natio annuucianda: qui eodem obedientie spiritu ad vtranque descendit; quia idem Dominus mittebat ad vtranque: quemadmodum Raphael ad Thobiam descendit, vt etiam in vilioribus inferuiret eadem animi promptitudine, qua ad altissima ministeria missus fuisset. Omnes enim Angeli id maximæ sibi gloriæ ducunt, quò Dei in omnibus exequantur voluntatem.

Mox grandia illa perpendam, quæ S. Gabriel de nascituro Infante prædixit, quò ab omnibus magni æstimaretur; parentemque doceret rationem eum educandi dignè, ad munus quod erat obiturus.

I.

^a Luc. 1 14.

Quare PRIMVM, nomen, quod, iubente Deo, erat habiturus, aperuit. ^a Et vocabitur, inquit, nomen eius IOANNEM. quod interpretatur GRATIA: ad significandum, ipsum quantum quantum, veluti exemplar quoddam futurum, in quo diuinæ gratiæ diuitiæ elucere, quam in Dei conspectu verè inuenisset; à quo, nullis suis meritis exigentibus, electus vocatusque esset: ^b cuius etiam nominis de ventre matris eius est recordatus.

II.

SECUNDÒ prædixit Angelus: Erit magnus coram Domino, in ijs videlicet rebus, quas ille magnas iudicat, quales sunt virtutes & sanctitatis dona. Magnus itaque futurus erat in humilitate, magnus in obedientia, patientia, Oratione, contemplatione, & in officio, quod magni præstant in domo Domini.

III.

TERTIÒ, quò futurus esset temperantissimus: *Vinum & ficeram non bibet*, sicut legitimus

mus

mus Nazareus, diuino seruitio penitus dedica-
 tus. & quoniam Dei promissa, inania non
 sunt, sed plena, quia simul largitur necessaria
 ad executionem, adiecit Angelus **QVARTAM**
 illam excellentiam: *Et spiritu sancto replebitur
 adhuc ex utero matris sue.* idque ea pleni-
 tudine, quam dignitas officij, ad quod elige-
 batur, exigebat: ut ab ipso ventre incipiens, ad
 finem usque vitæ proficiendo pergeret. **QVIN-
 TÒ** prædixit: *Et ipse præcedet ante illum,* scil.
 Dominum, *in spiritu & virtute Elia:* huius enim
 zelo multos filiorum Israel conuertet ad Domi-
 num Deum ipsorum, parabitque eidem plebem
 perfectam, & ad legem nouam, quam Domi-
 nus ipse veniens traditurus est, amplectendam
 disponet. Ex qua tota Angeli prædictione ap-
 paret, Infantem hunc, omnibus modis perfe-
 ctionis, perfectum futurum; erga Deum, sei-
 psum & proximos. Erga Deum, propter dona
 gratiæ ei conferenda; erga seipsum, ob seueram
 mortificationem, & poenitentiam; erga pro-
 ximos, ob zelum salutis eorum: non enim pro-
 priam contentus, aliorum etiam procuraturus
 erat perfectionem. Omnia ad illius gloriam
 dirigens, quæ, ut Præcursor, præcederet. Quod
 perfectionis exemplar merito mihi ob oculos
 ad imitandum constituam, iuxta illud Mi-
 chæ: *c Indicabo tibi: & homo quid sit bonum, &*
quid Dominus requirat à te: vtique facere iu-
dicium, & diligere misericordiam, & sollicitum
ambulare cum Deo tuo. Quod cum omnibus sit
 à Propheta dictum, ex his tamen huius sancti

IV.

V.

c Mich. 6. 8.

excel-

excellentijs, quas Deus tanti facit, eas etiam habere contendam, quæ statui & conditioni meæ cōueniunt, orans diuinam bonitatem, eas ut mihi largiri dignetur, illius amoris intuitu, quo suum hunc Præcursorem est profecutus, cui tam liberaliter eas est elargitus.

PUNCTVM II.

CONSIDERANDAE deinde sunt singulares gratiæ infanti huic, adhuc in matris utero latenti, sexto post conceptionem mense, à Christo impertitæ, dum & ipse in Virginis matris suæ utero ad eum visitandum & sanctificandum venit, ut meditatione proxima retulimus: ex qua tres huius sancti prærogatiuas colligimus.

I. **PRIMA**, quòd ipse S. Ioannes fuerit Sanctorum *Primitia*, quos post incarnationē suam Christus sanctificauit: ut par sit credere, eminenter eum sanctificasse, insigni sanctitate, gratijs gratis datis, perfectissimo excellentiq; modo impertitis; rationis & liberi arbitrij usu, tantillo infantulo concessio; menteque ita illustrata, ut Incarnationis mysteriū caperet; voluntate deniq; feruentissimis amoris admirationisque affectibus inflammata, ac iubilij & gaudijs in Spiritu sancto repleta.

II. **SECUNDA** prærogatiua fuit, quòd quoniā (Apost. teste) *a Dei dona sunt sine penitētia*, par sit credere, (ut S. Ambr. ait) rationis usum semel concessum, ampliùs illi ablatum non fuisse; ac porrò, ut B. Virgo tribus illis mensibus, quibus apud S. Elisabetham cōmorabatur,

eam,

eam, vt in virtute cresceret, iuuabat; ita infantem IESVM, ex materno utero, Ioānem iuuifese, vt in accepta sanctitate proficeret, nouis liberi arbitrij actibus, charitatis Spiritus sancti, quo plenus erat, inflammatis.

TERTIA fuit, quòd (vt sancti sentiunt) ipsius infantis intuitu, Deus eius matrem multis etiam gratijs, donisq; , nominatim Prophetiæ, & Spiritu S. repleuerit: quo nobis, quanti eum faceret, ostēderet; ac spem faceret, magna, eodem intercedente, nos impetrare posse. Quare magnū erga eum meritū amorem concipiam, ei congaudens, ob tot fauores, quibus Deus est eum profecutus: & eodem nomine gratias ipsi Deo agam: Sanctum verò ipsum, vt pro me intercedere, aliquamq; eorum partem impetrare velit, instantiū rogabo.

PUNCTVM III.

TERTIO, insigniora quædam sunt consideranda, quæ in ipsa S. Ioannis natiuitate cōtigerūt. PRIMVM: Quod cū ad eū circumcidendum ventum esset, eius parentes à Deo inspirati, contra omnium cognatorum sententiam, dixerint, eius nomen esse IOANNEM: quod gratia, interpretatur, quò significaretur, licet ob Circumcisionem grauissimo legis veteris onere grauaretur, collatam ei à Deo fuisse copiosam ad illud ferendum gratiam; & simul, ad nouæ legi, quæ gratiæ erat, initium quodammodo dandum; dicente Euangelista: a Lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem: ex eo Regnum Dei euangelizatur:

Quare

III.

S. Amb. &
Beda in
Luc.

I.

a Luc. 16. 16.

Quare aliqua eius legis pars illi contigit, in qua gratia hæc omnibus datur. Quamobrem Deum orabo, ut, qui legis suæ me iugo subicit, det etiam gratiam ad ferendum.

II. SECUNDUM fuit, quod parens eius Zacharias, loquendi facultate recepta, mox Spiritu S. repletus, & Prophetiæ dono accepto, in Canticum illud eruperit: *Benedictus Dominus Deus Israel*, in quo à Dei laudibus inchoans, qui tam liberalem se, nos visitando, ostendit, ad ipsius Præcursoris encomia delabitur. Est enim divini spiritus proprium, Dei laudes, ob eius beneficia; sanctorum vero, ob eis communicata dona, spirare. Sed eminet illa eiusdem Infantis excellentia, singularisque Dei in ipsum amor; quod eam parenti eius gratiam concesserit, statim ac ille IOANNIS nomen in pugilaribus scripsit. ut appareat, qua gratia studioque eos Deus prosequatur, qui pie Sancti huius nomen venerabuntur. O infans sanctissime, gaudeo, te à Deo tantoperè diligere, & quoniam, iuxta nominis tui etymologiam, grat. à plenus es: obtineas mihi, obsecro, ab eodem Domino, me ut illa etiam repleat: quod æternum ei feruiens, eodem tecum fruatur per secula. Amen.

III. TERTIUM, contigit insignis omnium, ad quorum notitiã hæc gesta perveniebant, letitiã reverentiãque plena admiratio, iuxta verbum b Luc. 1. 14. Angeli: b *Et in nativitate eius multi gaudebunt; Et Evangelistæ dicentis: mirati sunt universi; & factus est timor super omnes vicinos eorum.*

b Luc. 1. 14.
63. 65.

rum. Quò significaretur, datum eum esse à Deo Ecclesie, tanquam spiritualis eius lætitiæ aduocatum, quæ est deuotionis effectus, & pignus æternæ vitæ.

ULTIMVM idque excellentissimum fuit, quod de eius vitæ exordio ait Euangelista: *Et enim manus Domini erat cum illo.* Nam eius potentia illi fauebat, admiranda per eum operabatur, mouebat, dirigebat in omnibus, in necessitatibus protegebat. Quapropter Ecclesia illud de Isara dictum, sancto huic accommodat: *c Dominus ab utero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. In umbra manus sue protexit me: & posuit me sicut sagittam electam: in pharetra abscondit me.*

IV.

c Isai. 49.1.

O FELICEM SAGITTAM, quæ non proprio, sed omnipotentis agebaris impulsu! O electa ab Spiritu sancto sagitta, ad res magnas destinata, nunquam à potenti eius manu relicta! O manus omnipotentis, sicut præcursorum tuum dirigebas; me quoque impulsu tuo dirige ad tuam semper sequendam voluntatem; mihi que assiste semper, quem nihil sine te posse, nosti.

